

ratio D. Thomæ in hoc articulo est evidens in theologia, quia scilicet homo per votum magis firmatur in bono respectu illius, et magis meretur. Articulo etiam sequenti ostendit votum esse actum religionis, et articulo sexto dicit esse magis laudabile operari aliquid ex voto, quam sine illo, quæ omnia intelliguntur per se loquendo, quia aliquando per accidens ex indiscretionem voventis, vel imperfectione illius, non erit illi utile vovere, et ita in Concilio Arausicano, cap. ii dicitur: « Nemo quidemquam recte vovit, nisi quod a Domino accepit, quod voveat, » et D. Augustinus lib. xvii de civitate Dei idem docet cap. iv.

III. Argues primo: Justi maxime in lege gratiæ debent esse liberi iuxta dictum Apostoli ad Galatas iv, sed votum tollit istam libertatem, cum inducat necessitatem, ergo. Confirmatur ex primo Corinth. ix: *Hilarem datorem diligit Deus*, sed quæ homo vovet operatur ex tristitia, et necessitate, ergo. Secundo: Christus Dominus nunquam votum fecit; ergo nec Christiani. Nec sufficit dicere cum D. Thoma ad tertium, quod Christus non fecit votum, quia habuit voluntatem firmatam in bono, erat enim comprehensor. Contra hoc est, quia etiam erat viator; tum etiam, quia hoc non obstante potuit firmari ejus voluntas, imo et de facto fuit firmata præcepto, ut patet Joannis x: *Hoc mandatum accepi a Patre*: et cap. xiv: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, etc.* et cap. xv dicit se servasse præcepta Patris, quæ loca D. Augustinus tract. lxxix in Joannem, et lib. xiii de Trinitate, cap. xiv, et quæst. lv super Deuteronomium intelligit proprie, non abusive; et D. Thomas iii part. quæst. xlvii, artic. i et ii part. quæst. xli, art. vi; ergo potuit habere votum. Tertio: Votum debet esse de re, quæ alias non debetur, sed

omnia quæcumque possumus facere sunt debita Deo, et titulo creationis, et dominii, et beneficiorum, quæ indesinenter in nos confert; ergo. Confirmatur, quia alias recte facerent omnes qui vovent, consequens est falsum, cum sint multi indiscrete voventes, ergo. Ultimo: Multoties non possumus servare promissum; ergo non est tutum promittere.

IV. Respondetur ad primum, quod Apostolus ibi loquebatur de libertate ab onere veteris legis in tempore legis gratiæ. Secundo, respondetur ex D. Thoma ad primum, quod votum non minuit libertatem, sed potius perficit firmando eam in ordine ad bonum. Ad confirmationem respondetur, quod ille, qui operatur ex necessitate coactionis, non operatur hilariter: at qui operatur ex voto, non operatur ex tristitia, vel coactione, sed potius ex maxima liberalitate, ipse enim voluntarie vovit. Si tamen aliquando semel emisso voto, pœniteat de illo, illud erit per accidens ex malitia subjecti, nec propterea erit deobligandus ab illius impletione. Ad secundum negatur consequentia: voluntas enim Christi Domini, ut docet D. Thomas erat omnino firmata in bono ex vi comprehensionis, quæ confirmatio nulla ratione minuebatur, ex eo quod alias erat viator. Præceptum autem non ordinatur per se loquendo ad firmandam voluntatem in bono, sed ut subditus recognoscat obedientiam superiori.

V. Ad tertium respondetur, quod de rebus alias debitis potest fieri votum, ut patuit supra articulo secundo. Vel secundo respondetur, negando quod omnia, quæ cadunt sub voto sunt alias debita; opera enim consilii non sunt debita, cum nullum sit peccatum illa ommittere, sed potius ex supererogatione fiant, vel certe si sint debita tantum sunt ex hones-

tate, et decencia. Est autem opus maxime laudabile obligare se ad istam supererogationem per votum. Ad quartum respondetur, quod per se loquendo est utile vovere, potest autem per accidens esse nocivum, ut diximus ex malitia subjecti. Ubi notandum est, quod sicut in juramento, ut sit licitum requiruntur tres conditiones: veritas, justitia, et iudicium, ita voto possunt assignari tres conditiones, ut sit opus virtutis, ut qui promisit sit fidelis in reddendo, et hoc est veritas: justitia, ut sit justum, et Deo placens quod promittitur: iudicium autem, ut discrete promittat, attendendo ad suas vires, an scilicet sufficiat ad votum implendum. Et per hoc patet ad ultimum, debet enim homo promittere rem, quam iudicet sibi esse possibilem.

## ARTICULUS XIV.

*Utrum votum sit actus patriæ, sive religionis?*

I. Conclusio est affirmativa. Dubium est circa istam conclusionem D. Thomæ, utrum ratio, qua illum probat sit bona, et etiam utrum ille, qui transgreditur votum, peccet semper duplici peccato. Et ut certa ab incertis separemus, supponendum est, nos non loqui de illo, qui promisit facere aliquid, vel non facere, quod alias erat in præcepto; certissimum enim est, quod qui transgreditur tale votum, peccat duplici peccato, cum talis actus habeat duplicem deformitatem, scilicet contra religionem, et contra præceptum prohibens, vel imperans talem actum, ut si quis voveat se non furaturum, vel auditurum missam, quando tenetur. Solum ergo loquimur de illo, qui promisit rem, quæ tantum erat in consilio. Et videtur

etiam, quod peccat duplici peccato, quia lex præcipientis aliquem actum constituit illum in illa virtute, ad quam pertinet finis talis actus, verbi gratia, lex præcipientis jejunium constituit ipsum in ratione temperantiæ; sed votum est quædam lex particularis, et quæ constituit jejunium in virtute temperantiæ, cum jejunans ex voto, et religiosus sit, et temperatus; ergo ille, qui transgreditur votum, peccat contra religionem, et contra temperantiam.

II. Conclusio tamen D. Thomæ est vera, et transgrediens votum tantum peccat unico peccato, scilicet contra religionem. Unde solum tenetur jejunare ex vi voti, et in ordine ad finem illius; ergo si non jejunat, solum deficit ab una obligatione. Hujus conclusionis veritas quoad utramque partem ex argumentorum solutione patebit.

III. Arguitur primo: Charitas magis respicit Deum, quam religio, ergo votum potius est actus charitatis, quam religionis. Confirmatur: Actus imperatus ab aliqua virtute extrinsece tantum pertinet ad illam, et proprie loquendo non est actus illius, sed votum imperatur a virtute religionis, ut videtur docere D. Thomas in prioribus verbis corporis articuli, ergo. Secundo: Ad eandem virtutem pertinet promittere, et implere promissum; sed implere votum non pertinet ad religionem: ergo. Probatur minor: Implere juramentum promissorium non pertinet ad religionem, sed ad veritatem; tum etiam, quia si quis promittat jejunium, ut servet castitatem, tale jejunium pertinebit ad temperantiam, et virtualiter votum pertinet ad illam virtutem, ad quam pertinet res promissa: ergo.

IV. Tertio: Promissio facta homini non ordinatur in cultum hominis; ergo nec promissio facta

Deo in cultum Dei. Quarto: Si votum esset actus religionis, tantum posset fieri Deo cujus cultum, et reverentiam solum respicit religio; sed votum non tantum fit Deo, sed etiam sanctis, ut patet Proverb. xx: *Ruina est homini devorare sanctos, et post vota retractare*: et etiam, quia multa vota fiunt Beatissimæ Virgini. Ultimo: Quoniam alias si votum esset actus religionis, sequeretur, quod qui transgrederetur illud, peccaret duplici peccato; contra religionem scilicet, et contra virtutem illam, cujus actus erat votum: consequens est falsum, qui enim non implet jejunium, quod promisit, tantum peccat unico peccato: ergo.

V. Respondetur ad primum, ex D. Thoma supra quæst. LXXXI, art. v, quod religio non habet Deum pro objecto, cum hoc sit proprium virtutum theologiarum, ut ibi dicitur: habet tamen pro objecto aliquid Dei, scilicet cultum, et reverentiam ejus, propter quod præstantior est inter omnes virtutes morales, et in ordine ad istum finem refert actus aliarum virtutum. Caritas autem non respicit cultum Dei, sed ipsum Deum; unde votum non potest esse actus elicitus a charitate, quoniam per illud colitur Deus. Ad confirmationem respondetur, quod quia religio imperat alios actus aliarum virtutum in cultum Dei, satis probat D. Thomas, quod religio habeat pro objecto cultum Dei, et ita votum, per quod colitur Deus, pertinet ad religionem etiam elicitive. Ipsum vero votum licet secundum substantiam materiale actus pertineat ad intellectum, et secundum istam rationem imperetur a religione, in esse tamen moris, et virtutis non imperatur, sed elicitor a religione. Ad secundum negatur minor, et ad probationem de juramento promisso-

rio respondetur negando antecedens, sicut enim frangere juramentum promissorium, et votum solum est differentia ex parte materiae, scilicet, quia materia promissa per juramentum ordinatur in cultum Dei, sicut ordinatur per votum; cæterum implere juramentum etiam ordinatur in cultum Dei, quoniam exhibetur reverentia ipsi Deo implendo juramentum. Ad secundam probationem respondetur, quod quando quis vovet jejunium propter castitatem servandam, ipsum jejunium, et castitatem, quam intendit per illud, ordinat in cultum Dei, qui finis licet sit extrinsecus castitati, et jejunio, est tamen intrinsecus religioni.

VI. Ad tertium respondetur negando consequentiam; tum, quia promissio facta homini non respicit reverentiam, sed utilitatem ipsius; tum etiam, quia promissio facta homini non dicit per se, quod fiat superiori. Votum autem per se dicit, quod fiat superiori, et ordinetur in reverentiam ipsius. Ad quartum respondet D. Thomas, quod homini fit promissio, non tamen votum, cum votum soli Deo fiat; poterit vero humana promissio voto confirmari, ut si promittat Beatissimæ Virgini aliquid, possum promittere Deo, quod servabo hoc promissum. Quæ solutio, ut clarius intelligatur, notandum est, quod sancti dupliciter possunt considerari. Primo, ut sunt homines, et creature Dei, et isto pacto promissio illis facta non est magis votum, quam promissio, quæ fit cæteris hominibus. Et D. Thomas in prædicta solutione loquitur de sanctis sub hac consideratione, cum dicit promissiones illis factas non esse vota, et consequenter illas non servare non erit mortale. Secundo modo considerantur sancti, ut Deus peculiari modo habitat in illis, et ut sunt

quodam modo Deus participative, promissio autem facta sanctis sub hac consideratione est verum votum, neque illa fit principaliter sanctis, sed Deo, qui habitat in sanctis.

VII. Ad ultimum respondetur negando consequentiam, est enim differentia inter legem superioris, et votum. Lex enim præcipiens aliquem actum, per se respicit, et determinat finem virtutis, ad quam pertinet talis actus, et ita determinate ordinatur homo ad jejunium, verbi gratia præceptum per legem, quod mutari non potest propria auctoritate in evidenter melius, quia lex per se respicit finem temperantiæ; promittens autem jejunium respicit per se finem religionis, et non temperantiæ, hunc enim tantum respicit materialiter, et per accidens, et ita in ordine ad finem religionis potest commutari jejunium, promissum in evidenter melius propria auctoritate, ut infra dicitur. Secundo, respondetur et melius, concedendo quod peccet contra duas virtutes, atque adeo contra duo præcepta; nihilominus non peccat duplici peccato, quoniam una virtus, scilicet temperantia non habet obligare nisi ratione alterius, scilicet religionis: ubi autem unum est propter aliud, ibi tantum est unum. Unde sit regula: Quotiescumque quis peccat contra duas virtutes, quarum altera obligat sine altera, committit duo peccata: quando autem peccat contra duas virtutes, quarum altera tantum habet obligare ratione alterius, solum peccat unum peccatum, ut si cœnans in die jejunii non excedat in quantitate cibi, solum peccat unum peccatum, si vero excedat duplex.

VIII. Ex dictis sequitur decisio alterius dubii, quod monet Cajetanus, utrum religiosus, qui transgre-

ditur præceptum prælati, peccet duplici peccato, altero contra obedientiam promissam, altero contra religionem voti. Cajetanus hic censet esse veram partem affirmativam. Pro veritatis tamen explicatione notandum est, quod transgrediens votum paupertatis peccat duplex peccatum, alterum contra votum, alterum contra justitiam. Contra votum est manifestum, contra justitiam autem, quoniam ex vi voti factus est incapax dominii, et ita si det rem aliquam contra voluntatem prælati, dat rem alienam invito domino. Similiter etiam transgrediens votum castitatis peccat dupliciter, quia alias tenebatur ad castitatem. Tota ergo difficultas est quando facit contra præceptum rei, ad quam alias non tenebatur. In qua re dicendum est, quod tantum peccat unicum peccatum. Hæc sententia est communis, quam tenet Soto libro VII de justitia, quæst. II, art. III. Probatur primo, quia religiosus nulla ratione tenetur obedire prælato nisi ex vi voti, neque aliter intendit se subjicere prælato nisi per votum, ita quod si per impossibile tolleretur votum, nulla ratione teneretur obedire prælato: ergo tunc tantum faceret contra votum.

IX. Confirmatur: Si quis faciat votum simplex obediendi homini, et postea non obediret, tantum peccaret unico peccato; ergo etiam in nostro casu. Secundo probatur: Qui ex consensu uxoris ingreditur religionem, et postea accederet ad illam, non peccaret contra castitatem, ut docet hic Cajetanus, quia non tenetur servare castitatem nisi solum ex vi voti; unde tantum esset transgressio voti: ergo pari modo in nostro casu.

X. Per hoc patet ad aliquas objectiones Cajetani. Objicit enim primo, quoniam si obediat prælato

præcipienti, ut jejuset, est ibi duplex ratio virtutis; ergo si non obediatur duplex deformitas. Secundo: Si quis promitteret alicui centum, et eandem promissionem voto confirmaret, sine dubio peccaret duplici peccato, non implendo promissum; ergo idem erit in nostro casu. Ultimo: Contemnens præceptum prælati peccat duplici peccato; ergo et in casu præsentis. Ad primum respondetur negando consequentiam, quoniam qui implet præceptum, vere exercet actum obedientiæ, et temperantiæ, ad actum autem temperantiæ non tenetur nisi solum ex obedientia, et ita si non jejuset, solum fecit contra obedientiam. Ad secundum respondetur, quod in casu antecedentis est promissio distincta a voto, quæ obligat sub veniali, ut supra diximus: in nostro tamen casu tantum est unica obligatio, et promissio voti: ad tertium negando antecedens, licet enim gravius peccet transgrediens præceptum ex contemptu, nihilominus tamen tantum peccat unico peccato.

## ARTICULUS XV.

*Utrum solemnizetur votum per susceptionem sacri ordinis, vel professionem ad certam regulam?*

I. Circa istum articulum est dubium, utrum solemnitas voti consistat in aliqua traditione, vel consecratione voventis. Pro cujus explicatione notandum est, duplicem esse solemnitatem voti, alteram accidentalem, quæ non convenit per se voto, sed potest variari, imo et omnino tolli, quales sunt benedictiones externæ, et aliæ cæremoniæ, quæ solent in professione adhiberi; alia solemnitas est essentialis, quæ

inseparabilis est ab ipso voto, sicut etiam in matrimonio est hoc duplex genus solemnitatis, alia est enim accidentalis, sicut apparatus convivii, etc. quæ omnia non sunt essentialia matrimonio; alia autem solemnitas est essentialis, et inseparabilis, quæ consistit in mutua traditione corporum.

II. Prima conclusio: Solemnitas voti non consistit in aliqua benedictione, seu traditione externa. Probat, quoniam in professione tacita nulla intervenit benedictio, et tamen qui ita professus est, est incapax matrimonii: ergo. Item, quia istæ benedictiones sunt variæ in diversis religionibus, imo in nostra non invenitur talis benedictio, vel consecratio, cum post emissam professionem tantummodo benedicantur vestes, circa profitentem autem nulla fit benedictio, vel consecratio; ergo istæ benedictiones tantum sunt quædam cæremoniæ exteriores adornantes voti solemnitatem.

III. Secunda conclusio: Solemnitas voti non consistit in hoc, quod impediatur matrimonium contrahendum, et dirimat contractum. Hæc conclusio est contra Cajetanum. Et probatur: Impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum est effectus, seu proprietas voti solemnitis: ergo in illo non potest consistere ejus essentia, cum potius illam præsupponat jam constitutam, id enim quod est posterius, non constituit illud quod est prius, sed constitutum supponit.

IV. Tertia conclusio: Solemnitas voti consistit in traditione, vel omnimoda, vel saltem in aliquem specialem cultum. Ita D. Thomas hic, et communiter doctores, de quo videatur Soto VII de justitia, quæst. II, art. V. Et probatur: In illa traditione mutatur status, et homo specialiter consecratur Deo per inter-

nam voluntatem; ipsa enim traditio sui, seu dedicatio ad cultum Dei est interna quædam consecratio, sive benedictio, et in ea solemnizatur votum. Unde quando D. Thomas docet hic, et infra articulo nono, quod solemnitas voti consistit in quadam benedictione, sive consecratione, si esset intelligendus de benedictione, et consecratione externa, esset intelligendus de solemnitate accidentali, ut dictum est. Sed revera loquitur de consecratione interiori, de qua modo dicebamus, ut constat ex contextu; ait enim, quod tunc solemnizatur votum, quando se consecrat Deo per abrenuntiationem sæculi, et propriæ voluntatis: et ad primum docet, quod istam consecrationem causat Deus interiorius in anima, licet ministerialiter ad illam concurrant homines.

V. Contra arguitur primo: Mutatio status, et consecratio, sine traditio hominis ad cultum Dei potest stare cum solo voto simplici; ergo non consistit ista solemnitas in traditione. Probat, antecedens: Ecclesia potuit statuere quod in susceptione sacri ordinis solum emitteretur votum simplex, ita quod impediret matrimonium contrahendum, non tamen dirimeret contractum; et tamen sic vovens simpliciter maneret consecratus perpetuo cultui divino, sicut modo; ergo. Imo absque aliquo voto potest manere æqualiter obligatus cultui divino, ut modo de facto fit in sacerdotibus, et episcopis Græcorum. Secundo: Quamvis vovens se tradat Deo, si tamen Ecclesia non acceptat istam traditionem, non solemnizatur votum; ergo ista solemnitas voti in acceptatione potius quam in traditione consistit.

VI. Ad primum respondetur, quod votum clericale solum est solemnne extrinsece, et ex statuto Ecclesiæ,

et ita potuit Ecclesia præcipere, quod non fieret tale votum, supposito tamen hoc præcepto Ecclesiæ, qui suscipit sacros ordines in ipsa susceptione se offert, et consecrat Deo speciali quadam ratione omnino abrenuntians venereis, et in hac consecratione consistit solemnitas voti clericalis. Quia tamen non est omnimoda traditio sui, non est adæo perfecta ista solemnitas, sicut in votis religiosorum. Ad secundum respondetur, quod si Ecclesia non acceptaret aliquod votum, sine dubio nullum esset votum solemnne, semel tamen supposita ejus acceptatione, solemnitas voti consistit in illa benedictione, seu consecratione interna. Qualiter hæc intelligenda sint, et de differentia voti simplicis, et solemnitis, vide in tomo primo tractatu de approbatione doctrinæ D. Thomæ, folio 230 et 241.

## ARTICULUS XVI.

*Utrum vota emissa a religioso sine sui superioris voluntate sint valida?*

I. Prima conclusio: Si monachus votum de re non prohibita emittat, tale votum erit validum, quoadusque prælatus non contradicat. Antequam hæc conclusio probetur supponendum est, quod opera, quæ monachus potest vovere, alia sunt prohibita, alia vero non: et prohibita alia prohibentur in genere, ut peregrinatio, et exitus a monasterio; alia vero in particulari, ut verbi gratia quod non jejuset, nec disciplinam sumat. Tandem ex non prohibitis, quædam sunt necessaria ad salutem, ut præcepta decalogi, et hæc materia non est subjecta prælatis; alia etiam sunt, ad quæ monachus ex professione